



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1551. usque ad annum 1553

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118561**

§. 100. Francisci Titelmani mors.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66577)

S. C.

Sæcul XVI.

A. C. 1553.

*Francisci Titelmani mors.*

**I**nter Scriptores Ecclesiasticos, quibus præsens annus exitialis fuit, primo loco venit Franciscus Titelmanus Hasselæti in Leodiensi Episcopatu natus. Hic FF. Minorum institutum professus in monasterio Lovaniensi Philosophiam, Theologiam, Sacrasque Literas longo tempore tradebat, & postea Romam profectus relicto Franciscanorum habitu Anno Christi millesimo quingentesimo trigesimo quinto, aut juxta alios trigesimo septimo ad PP. Capuccinos ea mente transibat, ut totum se orationis studio, ac pauperum infirmorum auxilio devoveret. Verum Vicarius Provinciæ suæ creatus Asculi prope Romam, ut existimat Miræus, die duodecima Septembris Anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio vivis ereptus est. Eminebat is eruditionis ubertate, atque in Philosophiæ, & Theologiæ scholasticæ, quam inter Fratres Minores tradebat, scientiis longe versatissimus celebrabatur: ex illis vero operibus, quæ typis excudi curabat, præcipua sunt Paraphrases, atque annotationes in plures S. Scripturæ libros, præcipue in Jobum, Psalmos, Cantica Cantorum, Ecclesiasten, D. Matthæum, S. Joan-

*Bellarmin.*  
*de Script*  
*Eccl. Zacch.*  
*Bov. de an-*  
*nal. Capucc.*

*Dupin Bibl.*  
*des Auth.*  
*tom. 19. edit.*  
*Holl. p. 1.*



Sæcul. XVI. S. Joannem, necnon in epistolas D. Pauli, atque in Canonicas epistolas: cum autem Hebraici, Græcique idiomatis optime gnarus esset, cunctos hosce libros per paraphrases, notasque ad explicandum textum per commodas interpretabatur, quin tamen a Vulgata recederet, sed exacte eidem sese accommodaret, scriptaque apologia illius integritatem vindicaret. Scripsit insuper *collocationem in epistolam D. Pauli ad Romanos* contra Erasmum, & Fabrum Stapulensem, ex quibus prior contra hunc Virum æque, ac Gilbertus Cognatus indigno prorsus modo calamum suum stringere non erubuit. Reliquit etiam posteris Titelmanus tractatum I. *de auctoritate Apocalypseos D. Joannis*; II. *Summam Mysteriorum Fidei Christianæ*. III. *Expositionem cæremoniarum Officii Missæ* IV. *Meditationes sacras pro cordis in Deo constabilitatione*; V. *de SS. Trinitate* VI. *Orationem de præmatura morte bonorum* VII. *Scholia in Arnoldum Carnotensem de septem Verbis Domini in Cruce*. Cuncta hæc opuscula typis impressa prodierunt.

§. CI.

*Adamus Sasboldus mortuus.*

Alter erat Adamus Sasboldus ex illustri Senatorum familia Delphii Anno Sal-